



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLIV. Autoritate D. Thomæ, & aliquorum posteriorum Theologorum
eadem doctrina confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

esse concursum prauum, aut simultaneum, nam vocat illam *instinctum alicuius exterioris mouentis*. Ut tamen integrè Lectori satisfaciamus, paulò inferius modum illum dissoluemus.

Secundò probatur hoc amplius ex sexto articulo, in quo non tam probat D. Thomas voluntatem posse moueri à Deo, quam non posse moueri ab alio intrinseco principio; vnde ibi non ponit nouam motionem ex parte rei necessariam, sed illam quam dixerat esse necessariam ad primum voluntatis actum, probat non posse esse nisi à Deo, quia solus ipse est causa efficiens voluntatis, & solum est vniuersale bonum, quod respicit voluntas. Ex qua doctrina solum habetur; motionem illam quam ab extrinseco agente postulat voluntas, ex parte sua esse à solo Deo: qualis autem illa motio sit, inde non habetur, potestque optimè articulus ille intelligi de motione cooperatiua, quam probat prima ratio, quia potentia solum ab illa causa pendet essentialiter in sua operatione, à qua pendet in suo neri, & esse. Vel etiam posset intelligi de motione remota per inclinationem naturalem datam ab auctore naturæ, quam secunda ratio probat. Sed quia doctrina illius articuli videtur referri ad doctrinam articuli quarti, magis inferius explicabitur. Nunc satis nobis sit in toto illo discursu nihil D. Thomam dicere, nec inlinuare de prauo concursu praeuolente voluntatem, determinando illam; cum tamen, vt dixi, ad illum maximè locum pertinuisse videatur. Verumtamen in solut. ad 3. aperte excludit necessitatem illius praeuolentis, dicens; Deus mouet voluntatem sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum; & inde addit exceptionem de motibus gratiæ, quam infra de illa tractanda expendimus. Nunc ex his verbis solum haberi volumus ex D. Thomæ sententia voluntatem ex se deindifferentem non semper indigere extrinseco determinante, sed illam se determinare in multis actibus, ac subinde illam prae-determinationem non esse necessariam potentiae liberae ex vi generalis concursus, quidquid sit in alio titulo interdū detur, & quomodo tunc intelligenda sit, quod postea videbimus.

4. Confirmatur tradita explicatio.

Et confirmatur hoc argumentum ad hominem, contra eos, qui ex hoc loco colligunt in operibus gratiæ Deum prae-determinare physicè hominis voluntatem: nam cum D. Thomas negat in alijs actionibus humanis dari voluntati talem determinationem, siue ad bonum, siue ad malum determinetur, rectè concluditur illam prae-determinationem non esse per se necessariam, nec ex vi generalis concursus. Et quamuis verius sit, cum dicit, *Deum mouere interdum aliquos ad aliquid determinare volendum, quod est bonum, sicut in his mouet per gratiam*, non loqui de motione determinante; sed excitante voluntatem, vt lib. 5. dicemus, nihilominus in prioribus quæ allegauimus, simul ait, & hanc Dei motionem non esse per se necessarium in alijs electionibus, & voluntatem, se mouendo per rationem, se etiam determinare, vtique sine motione prae-determinante, aliàs nec satisfaceret argumento, nec declararet quomodo voluntas se possit determinare, cum de se indeterminata sit. Denique in quæst. 3. de Malo art. 3. ad 5. hoc expressis verbis declarat, & soluit fundamentum contrariæ sententiæ, quoad hanc partem; sic enim in argumento obiecerat. *Omne quod se habet ad vtrumlibet, indiget aliquo determinante, ad hoc quod exeat in actum, sed liberum arbitrium hominis ad vtrumlibet se habet; ergo. Respondet autem dicendum, quod voluntas cum sit ad vtrumlibet, per aliquod*

determinatur ad vnum, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.

Tertiò hæc sententia D. Thomæ valde confirmatur ex alijs verbis eius in 12. quæst. 80. art. 1. vbi in corpore dicit Deum non inclinare voluntatem ad actum peccati, quod in capite sequenti latius ponderabimus. Et in solut. ad 3. fic ait. *Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilium voluntas, hoc directe quidem est ex voluntate humana, & è Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis. Ex quibus verbis considerata simul doctrina articuli, aperte constat D. Thomam non tribuere Deo determinationem voluntatem ad talem particularem actum directè, vel indirectè; sed voluntas directè, & deomon indirectè, & sufficienter, quamuis Deo tribua illum motum voluntatis tamquam vniuersali principio omnis motus voluntatis concurrenti vtique cum illa. Vnde conitatur secundum D. Thomam posse Deum concurrere ad aliquem motum, vt vniuersale principium, & nihilominus non inclinare directè ad illum; & a fortiori nec determinare: nam plus est determinare, quam inclinare. Item conitatur voluntatem de se indifferenter non indigere prae-determinatore, vt ad alteram partem determinet, nam ad malos actus ipsa sola se determinat, quamuis non sine generali concursu primæ causæ: & eadem ratione idem potest facere in nobis, per se loquendo, vt in priori loco D. Thomas testatus est.*

Quartò est aliud notandum eiusdem Doctores sancti testimonium in 1. 2. quæst. 10. art. 4. vbi etiam ex professo tractat quæstionem de modo, quo Deus mouet voluntatem, & ad explicandum non mouere ei necessitatem imponendo sumit illud principium Dionysij, præcedenti à nobis tractatum. Ad prouidentiam Dei non pertinet naturas rerum corrumpere, sed seruare. Vnde sub inferit in fine corporis articuli. *Quia igitur voluntas est actuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum determinat, sed manet motus eius contingens, & non necessarius; nisi in his ad quæ naturaliter mouetur. Ac vero quod mirabile est, etiam hunc locum contra nos obtrunt alij auctores: nam quia D. Thomas non dixit absolute non ad vnum determinare, sed non ex necessitate ad vnum determinare: aunt in illa se Deum quidem determinare ad vnum voluntatem, sed non ex necessitate. Vnde distinguunt duplicem determinationem voluntatis, vnam ex necessitate, & aliam sine illa: & priorem negare D. Thomam; hanc verò posterioriorem supponere docent. Verum distinctionem hanc de duplici prae-determinatione voluntatis ad vnum ab extrinseco agente, quæ in hoc quidem conueniant, vt vnaquæ ita determinet voluntatem ad vnum actum & exercitium eius, & voluntas non possit ei resistere, & nihilominus differant, quia vna inferit necessitatem, & non alia. Hanc (inquam) distinctionem nunquam D. Thomas insinuat, sed potius multa doctus quæ illam euertunt, vt ex alijs locis statim allegandis conitabit; & nos nec explicari posse arbitramur, nec consistere; vt in lib. 5. latius ostendam. Et ideo longè probabilius credimus illa duo verba polita esse à D. Thoma, vt nunc per aliud explicaret. Nam quia quæsierat an Deus ex necessitate moueret voluntatem, & in proprijs terminis responderet quæsito, dixit, Deum mouere voluntatem, non tamen ex necessitate: vt verò explicaret quid sit non mouere ex necessitate, addit non ad vnum determinare, & vt id magis explicaret, addit, sic Deum mouere voluntatem vt motus eius maneat constringens; non obstantem motione Dei, quod sanè in prauo concursu intelligi non potest.*

si ille talis est ut impossibile omnino sit illo politico actum voluntatis non sequi, ut ipse dicitur.

Quintò præcedens testimonium, eius expositio ex alio simili eiusdem sancti Doctoris confirmatur: nam in quest. 7. de potent. art. 7. ad 13. obiecerat non posse esse actum in dominio voluntatis humanæ, si absque Dei operatione fieri non possit, cum voluntas humana non sit domina diuinæ operationis, & respondit. *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem cause primæ, sed quia non in actu in voluntatem, ut illam ex necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; ut autem declaretur tunc voluntatem non ex necessitate determinari ad vnum quando physice prædeterminatur; subiungit. Et ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis. quod profectò non esset verum, si per actionem Dei, voluntas hominum prædeterminaretur physice ad vnum, licet non ex necessitate, ut illi Doctores distinguunt. nam quocumque modo illi imprimatur determinatio ab alio, non relinquatur in eius potestate. Nam determinatione relinqui in potestate hominis, non est tantum posse actum determinatum producere, hoc enim modo etiam determinari ad calefactionem est in potestate ignis, quia potest illam actionem in particulari efficere. Cum ergo dicitur determinatio relinqui in potestate non tantum physica, sed etiam moralis, & denominatiua, qua potest ad hoc vel illud determinari, quomodo dixit Augustinus illud esse in potestate nostra, quòd si volumus facimus, si non volumus, non facimus. Hoc autem modo non relinquatur determinatio in potestate voluntatis physice prædeterminatæ, cum nullo modo possit vel aliam actionem facere præter illam, aliquam prædeterminatam esse, vel illam non efficere, cum non possit prædeterminationi resistere.*

Eandemque expositionem confirmant egregie verba D. Thomæ in quest. 8. de Malo art. vnic. in corp. ubi cum dixisset Deum mouere voluntatem ad primum eius actum, ita id declarat. *Deus mouet voluntatem secundum eius conditionem, non ex necessitate, sed ut indeterminatè sese habentem ad multa. Vbi nunc solum considero illa duo tamquam immediate se habentia, ponere, mouere non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem, id est, relinquendo indeterminatam potentiam motum, sicut quoad exercitium. Et ideo statim infert. Potest ergo quòd si consideretur motus voluntatis ex parte exercitij actus, non mouetur ex necessitate, utique quia semper mouetur, ut indeterminatè se habens; ergo è contrario si moueatur ita ut determinetur ad exercitium, ex necessitate mouebitur. Atque ita semper D. Thomas illa ponit vt conuertibilia moueri determinatè, utique efficerentur ad exercitium, & moueri ex necessitate. Et è conuerso indifferentiam libertatis opponit determinationi ad vnum, vt quest. 22. de verit. art. ad 3. posterioris ordinis, ubi ait voluntatem vt rationalem si habere ad opposita, naturam verè determinari ad vnum.*

Sextò quòd voluntas ratione suæ indifferentiæ non solum non postulet prædeterminationem, sed potius postulet non habere determinationem ab alio, aperte docuit D. Thomas in 2. dist. 25. art. 1. in corp. ubi sic inquit. *Iudicium de actione propria est solum in habentibus intellectum; quæsi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam, vnde dominum, sui actus habere dicuntur; & propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed quibusdam alijs causis prioribus. Vbi duo expendo. Vnum est D. Thomam agentia illa reputare libera habere in potestate sua electionem actionum suarum: postea explicat per indeterminat-*

tionem suarum actionum. Vnde sicut electio non potest esse ab intrinseco agente, ita neque determinatio. Aliud est D. Thomam ibi aperte sentire, determinari à prioribus causis pertinere ad agentia non libera; quæ vel ab auctore naturæ determinata sunt ad vnum, vel si aliquam imperfectam indeterminatam habeant determinatur ab aliis causis; vel materialibus, vel efficientibus: proprium autem esse agentium liberorum non prædeterminari ab alio, sed à seipso. Et inde in solut. ad 1. concludit; Deum esse liberum, quod se ad opera sua determinat: vnde ad dominium actus manifestè requirit quòd determinatio actus non sit ab alio, sed à seipso. Quod in solutione ad 3. his verbis apertissime declarat. *Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in vnoquoque secundum eius conditionem; vnde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministrat; & ipso operante liberum arbitrium agit, sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: vnde remansit sibi ad vnum sui actus, licet non ita sicut primo agenti. Vbi maxime notanda sunt illa verba, In libero arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministrat; & ipso operante liberum arbitrium agit. Nam hæc verba generalia valde sunt, & omnia auxilia gratiæ, non tantum cooperantis, sed etiam operantis comprehendere possunt, & nihilominus generaliter etiam, & sine limitatione ait D. Thom. non obstantè hac Dei operatione determinationem actionis in potestate liberi arbitrij constitui.*

Septimò in eodem libro d. 28. art. 1. generatim pronuntiat. *Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret. & q. 22. de verit. art. 6. ad 1. dicit animam habere esse determinatum ab alio, sed ipsa (inquit) determinat sibi suum velle, & ideo quantum esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est, ac per hoc in diuersa flexibile. Tantum ergo abest, vt senserit D. Thom. voluntatem, quia ex natura sua non est determinata ad vnam, sed indifferens non posse seipsam ad vnam actionem determinare, vt potius affirmet, ideo per illam indifferentiam potestatis constitui voluntatem liberam, quia ad eam determinatio sui actus pertinet; ergo vt eandem libertatem in vtu censeret, non debet prius illo iure se determinandi priuari; hoc enim, & libero vsui & proprietati talis potentie repugnat. Vnde inferius addit liberum arbitrium supposita facultate naturali, vel gratuita, iuxta varietatem actuum per se posse ad quoslibet determinari, statim vero declarans particulam per se, addit. *Ita quòd non excludit diuinam causalitatem, secundum quòd Deus in omnibus operatur vt vniuersalis causa horum; iuxta illud Ier. 16. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, sed excludit habitum aliquem creatum naturalibus superadditum; ubi solum simultaneum concursum requirit ad talem determinationem, quia (vt supra visum est,) ex vi illorum verborum tantum concomitans significatur; neque alio titulo postulat à D. Thoma ad determinationem liberæ voluntatis, quam ad omnes alias actiones causarum secundarum. Quòd autem D. Thom. solum dixerit per illam particulam excludi habitum creatum, exitimo inde ortum esse, quod ex necessitate habitus gratiæ specialiter tractabat, & illius necessitatem non ponebat in prædeterminatione, sed in eleuatione potentie ad altiorum modum operandi. Vnde in omni genere liberarum operationum supponit determinationem esse à voluntate cum concursu simultaneo proportionato, & vt opinor, de virtute operatiua**

Loc. in 2. dist. 28. art. 1. & q. 22. de verit. art. 6. ad 1.

media inter habitum, & operationem, & distincta à concursu simultaneo ne cogitauit quidem.

II.
Locus ex q.
2. de verit.
art. 14. ad 5.

Ferrar.

Oftauò addere possumus alium D. Thomæ locum in q. 2. de verit. art. 14. ad 5. ex quo colligunt Thomistæ, quòd licet causa prima ageret ex necessitate naturæ, nihilominus homo ageret liberè, vt videre licet in Caetano 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 2. Ferrar. lib. 3. contra gent. c. 67. circa rationem 5. quos etiam moderni nonnulli sequuti sunt; quamuis alij contradicant. Sed quidquid sit de illa absoluta controuersia, quæ in multiplici sensu tractari potest, & vanè de illa iudicari, vt in Metaphysica dixi, loquendo tamen solùm ex duplici suppositione, scilicet, quòd non obstante modo agendi primæ causæ, voluntas hominis haberet eandem potestatem intrinsecam agendi, quam non habet, & quòd Deus non maiorem concursum, vel influxum illi præberet, quàm nunc conferat. His (inquam positis verissimè dicitur actum voluntatis futurum fuisse liberum, etiam si voluntas diuina ex necessitate produxisset omnia, & præberet concursum, quem modo præbet, quia tunc non magis necessitaret voluntatem, quàm nunc necessitet, quia non plus ageret in illam, quàm modò agit, vt supponitur, neque ex voluntate magis efficaci, licet magis determinata ex parte Dei, quòd nihil refert ad mutandum connaturalem modum agendi causæ secundæ, si in effectum, vel actionem, vel potentiam eius, nihil magis influat. Et in hoc sensu rectè sumitur hæc sententia ex citato loco D. Thomæ de verit. quatenus dicit, *quia ad esse effectus requiritur causa prima, & secunda, ideo quacunque illarum ponatur contingens, potest esse contingens, non si altera tantum sit necessaria, effectus erit necessarius, propter hoc quòd ad esse effectus utraque causa requiritur.* Et quia obieciatur causam primam vehementius influere, quàm secundam, respondet, hoc nihil obstare quominus ex modo agendi causæ secundæ sit defectibilitas, aut contingentia in effectû. Et similiter in dicto cap. 67. lib. 1. contra gent. ration. 5. dicit, si causa proxima sit contingens, effectum esse contingentem, etiam si remota necessaria sit. Idemque repetit lib. 3. cap. 83. ration. 2. dicens, à causa remota necessariò agente non sequi effectum necessarium, si causa proxima sit contingens.

12.
Ex loco citato colligitur veritas assertio nis.

Ex hoc ergo principio ad eò recepto in schola D. Thomæ colligimus illum non posuisse in voluntate liberè operante concursum præuium, & prædeterminationem à prima causa in ea productam, quia cum tali concursu præuiò omnibus modis esset impossibile intelligere contingentiam in actu voluntatis creatæ, si causa prima ex necessitate naturæ ageret. Probat, quia tunc talis actus non haberet contingentiam, vel indifferentiam à causa prima, quia ipsa ex necessitate naturæ daret illum impulsu causæ secundæ, neq; etiam haberet contingentiam ab ipsomet impulsu, quia illa etiam mouere dicitur tantò necessitate sibi intrinsecâ, vt nec Deus ipse possit impedire, quominus illo posito non sequatur effectus eius, & consequenter nec à voluntate creatâ posset actus habere contingentiam, cum illa non moueatur, nisi effectû illo impulsu; nec possit illi resistere quominus illi cooperetur: impossibile ergo esset intelligere libertatem in tali actu, quia nullum haberet principium, vnde illam participare potuisset: actus autem non determinatur liberè nisi per habitudinem ad principium, seu causam aliquam à qua procedit. Ergo vt possit saluari libertas actus humani in eo casu, quòd Deus ex necessitate naturæ ageret, necessarium est dicere, tunc Deum non fuisse datorum voluntati concursum præuium, quo illam ad vnũ determinaret; ergo idem maiori ratione dicendum nunc est. Vel certè

fit tunc Deus per eundem illum concursum, quem nunc dat, necessitaret humanam voluntatè, etiam nunc necessitabit illâ. Nam quòd ille còcurfus præuius prædeterminans procedat à Deo naturaliter, vel liberè conferet quidem, vt respectu Dei effectus quem ad extra facit, sit illi liber, vel necessarius tamen respectu hominis nõ erit actus ipsi liber si motio Dei est de se efficax ad determinandam voluntatem hominis ad vnũ, & efficiens ad necessitandam illam, si à Deo ex necessitate naturæ fieret.

Histamen accedit, quòd cum hæc testimonia sint satis vrgentia, & ferè expressa, & in eis D. Thomas in particulari, & speculicè de determinatione, & indeterminatione voluntatis loquatur, nullum in contrarium afferit, in quo vel punctum in contrarium attingat, vel in particulari aliquod pro præuia determinatione, seu prædeterminatione voluntatis dicat, sed afferuntur solùm varæ generales locutiones, quæ ad præuiam illam motionem accommodantur, cum verba D. Thomæ generalia sint, & facilè possint de aliis motionibus intelligi, & se ab eodem D. Thomæ in aliis locis ita exponantur. quòd breui discursu ostendam attingendo solùm ea loca, quæ communia sunt omnibus actibus liberis voluntatis, nam quæ pertinent ad actus supernaturales, & auxilium efficax ad illos necessarium, in librum 5. referuo. Deinde ex prioribus locis omitto etiam illa, quæ omnibus causis secundis etiam naturalibus communia sunt: nam de his satis dictum iam est. Et huc spectant omnia, quæ de necessitate auxiliij, seu motionis primi mouentis tradit D. Thomas 1. 2. q. 109. per totam, & 1. p. q. 205. art. 5. Nam in superioribus non solùm hæc loca exposuimus, sed etiam oppositam doctrinam ex illis deduximus, & hic applicari potest, quia etiam in voluntate solùm vnicum simplicem concursum Dei ad actus liberos D. Thomas requirit, neque propter determinationem voluntatis aliam præuiam motionem in illo postulat.

Potest tamen quis harere in quibusdam verbis D. Thomæ in eadem q. 105. art. 1. ad 3. sic enim ait: *Hoc ipsum quòd causa secunda determinatur ad determinatos effectus, est illi a Deo.* Verumtamen hæc verba generalia sunt de omnibus causis secundis etiam naturaliter agentibus, in quibus etiam authores fatentur non esse necessarium præuium concursum propter determinationem earum: possunt ergo illa verba per se spectata optimè intelligi ratione concursus concomitantis; nam sicut causis secundis ipsum agere est à Deo, quia non solùm virtutem agendi ab illo habent, sed etiam ipsam actionem line actuali & immediato eius influxu habere non possunt, ita determinatio ad definitos effectus, est illis à Deo, quia ab illo habent non solùm virtutem, aut ex se determinatam, aut voluntatem se determinare: sed etiam determinationem ipsam in actu secundo sine actuali eius influxu habere non possunt, quia quatenus illa determinatio aliquid est, à causa secunda fieri non potest sine actuali, & cooperante influxu Dei, quæ doctrina est quidem in se verissima, illi tamen loco non necessaria, quia si attendè consideretur, non loquitur ibi D. Thomas de causis secundis, sed de naturalibus, quæ possunt materiam ad determinatam formam immutare. Quare enim ibi an Deus possit se solo id facere, & obiceret non posse, quia determinatio effectus pendet ex causa determinata. Et respondet Deum non pendere in hac determinatione à causa secunda, quia ipse præbet determinatas formas causis secundis, & determinationem earum, vnde optimè potest sine illis immutare materiam ad determinatam formam prout voluerit, quia nimirum in illo eminenter existit tota virtus causarum secundarum. Vnde constat etiam quòd causas secundas

naturaliter agentes non tractare D. Thomam, de determinatione addita, vel addenda per concursum Dei, sed de illa, quam habent ex naturali virtute, & conditione suarum formarum, nam illa estiam a Deo habet, vt constat.

15. Omnis ergo his, quæ generalia sunt omnibus causis secundis, attingemus aliqua, quæ de modo operandi Dei in causis liberis D. Thomas interdum docet. Et quoniam in fundamento contrariæ sententiæ duo testimonia D. Thom. quibus iuniores maximè nituntur, adduximus, illis respondendo in c. 46. satisfacimus. Ultra illa verò allegatur in 1. p. q. 83. art. 1. ad 2. vbi exponens verba Pauli ad Rom. 9. Non est volentis, &c. ait non esse dicta, quia homo non velit libero arbitrio, sed quia ad id non sufficit, nisi iuuetur, & moueatur a Deo. Sed non potuit D. Thomas breuius explicare gratiam excitantem, & adiuantem, semperque in his allegationibus continetur illa defectio illatio, Deus mouet voluntatem, ergo determinat. Simileque est argumentum, quod ex solut. ad 3. eiusdem articuli luminetur. vbi Sanctus Doctor sic inquit, Deus est prima causa mouens, & naturalis causas, & liberar, & sicut causis naturalibus mouendo eas non auferit, quin actus earum sint naturales, ita mouendo voluntarias causas, non auferit, quin actus earum sint voluntariæ, sed potest hoc in eis facit, operatur enim in inchoatione, & inchoatione in eis proprietatem. In quibus verbis voluit D. Thomam loqui de motione præuia prædeterminante, quia de illa (inquit quidem) procedebat argumentum, sed vnde id probet, non video, nam in argum. 3. D. Thomam solum subitimpit Deum mouere voluntatem, quod probat duobus testimoniis, Proverb. 21. Cor regis in manu Dei est, &c. & Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle, &c. In quibus non est sermo de prædeterminatione physica voluntatis, sed de extricatione, & inductione morali cum physica cooperatione, vt in lib. 5. latius exponemus. Et in ipsa solutione aperte loquitur D. Thom. de motione quam Deus exhibet omnibus causis secundis, quam esse cooperationem supra probauimus, & hanc dicit esse in vnaquaque causa secunda modo illi accommodato, quod verissimum est, & inde nos inferimus in causa libera non esse cum antecedente determinatione ad vnum, quia hoc non est consentaneum naturæ talis causæ.

16. Confirmat. Et si quis attentè consideret prima verba illius solutionis, intelliget Doctorem sanctum repositionem suam inchoare, nostram asserendo sententiam, argumentatus enim fuerat voluntatem moueri ab alio, & ideo non posse esse sui iuris, id est, domina sui actus, ac proinde necliberam, & ideo respondendo incipit, dicens, quod liberam arbitrium seipsum mouet ad agendum. Vbi expendo non tantum dicere liberum arbitrium agere, sed etiam se mouere ad agendum, quod certè non est aliud quam se applicare, & se determinare ad actionem suam, si ab alio solo prædeterminaretur, moueretur quidem ad agendum, sed non se moueret ad agendum. Deinde verò respondet ad argumentum, in eodem modo libero arbitrium fit dominus sui actus, non excludere superiorem Dominum à quo in motione sua pendet, & hoc est quod ait, Non est de necessitate libertatis, vt sit prima causa sui, quod liberum est, nam Deus est prima causa mouens, &c. Vt autem liberum arbitrium creatum non sit prima causa sui motus, non est necesse vt prædeterminetur ab alio, sed satis est, quod in sua prædeterminatione essentialiter pendeat à prima causa modo iam sepe explicato. Atque eodem modo nos dicimus, vt liberum arbitrium se determinet, non oportere, vt sit prima causa suæ determinationis: nam in illa etiam à Deo pendet, tanquam à primo agente determinationem ipsam. Illa ergo

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

solutio D. Thomæ, & nostram sententiam in prioribus verbis confirmat, & in aliis nihil repugnat, imò tacite soluit quod friuolè obici solet, quia si voluntas se determinat, non prius determinata erit primum principium liberum, respondet enim D. Thomas, voluntas se mouens, seu determinans ad agendum non sit prima causa, & consequenter nec primum liberum satis esse, quod à priori libero in sua determinatione pendeat.

Secundò asseritur D. Thom. in 1. 2. q. 6. art. 1. ad 3. estque hic locus similis præcedenti, & ideo nihil illi addere oportet, sed solum verba notare. Argumentum enim fuerat non posse hominem agere voluntariè, quia qui voluntariè agit, per se agere potest, quod homini non conuenit, dicitur enim Ioan. 15. sine me nihil potestis agere. Responso autem est, quod Deus mouet hominem ad agendum, non solum sicut propinens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, vel etiam sicut mouens ipsam voluntatem. vti que propriè, & essentialitè, ac physice agendo in ipsam. quod nos etiam fatemur. Tunc verò colligunt etiam mouere concursu præuio, & prædeterminatione, quam illationem nos iterum atque iterum negamus, quia est à genere ad speciem affirmatiuè, & ex puris particularibus: mouet enim Deus, & præmouet voluntatem efficiendo physice, & immediatè in ipsam, non per concursum præuio, sed per aliquem bonum effectum indeliberatum, non prædeterminantem illam ad consensum, sed inclinantem, & allicientem. Deinde mouet Deus voluntatè ad agendum physice, propriè, & immediatè cooperando cum illa se mouente ad agendum sine præuia determinatione. Et de hoc modo motionis loquitur ibi aperte D. Thom. sicut illum intellexit ibi Conrad. explicans hunc locum, per alia q. 109. Et probat ex ratione, quam D. Thom. subiungit, Quia omnis motus tam voluntatis, quam nature ab ipso procedit tanquam à primo mouente, vti que immediatè, & principaliter, quod per se, & intrinsecè verum est ratione concursus simultanei, in quo essentialiter pendet omnis motus voluntatis, vel nature à primo mouente, non ratione concursus præuio, quia neque per se necessarius est, neque ratione illius potest dici motus causæ secundæ pendere immediatè, & essentialiter à Deo. Vnde statim declarat eundem actum voluntarium, qui est à Deo, esse etiam necessariò à principio intrinsecò, sed vtroque ergo est simul, & non prius à solo Deo, quod æquè de ipsa determinatione voluntatis procedit: aut enim dicendum est non esse voluntariam hominis, quod est valdè absurdum, aut asserendum est esse ab ipsa voluntate cooperante Deo: hæc ergo est D. Thomæ doctrina:

Tertius locus similis allegatur ex 1. 2. q. art. 4. ad 1. vbi D. Thom. ait, licet de ratione voluntarij sit, quod principium eius sit intra, sed non oportet quod hoc principium sit primum principium non motum ab alio. quod verissimum est ratione dependentiæ essentialis voluntatis creatæ à Deo, ratione cuius idem motus voluntarius qui est immediatè à voluntate, vt à principio proximo intrinsecò, est etiam à Deo vt à primo principio extrinsecò. Et ita simul voluntas mouet se ipsam proximè, & mouetur à Deo primò, & principaliter, eodem vti que motu, quo se ipsam mouet: etiam si nullus alius à solo Deo antecedat: hoc enim est per se ex vi essentialis dependentiæ necessarium, licet aliis rationibus possit interdum Deus præmouere voluntatem abique physica prædeterminatione, vt sepe est dictum, & D. Thomæ doctrina statim explicabitur.

Quartò additur ex eadem 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. quod D. Thomas ait. Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non mouetur.

17. Explicatur ex 1. 2. q. 6. art. 1. ad 3.

Conrad.

18. Explicatur ex 1. 2. q. 9. art. 4. ad 1.

19. Explicatur ex 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.

autem non loquitur solum de prima volitione totius vite, sed de prima intentione particularis finis, in quacunq[ue] serie electionum, vt patet exemplo, quod de intentione sanitatis, & electione medicina, seu curationis adhibet. At in intentionibus particularibus non inuenitur necessitas quoad specificationem, vt per se patet, quia ad bona particularia etiam si propter se intendi possint, non necessitatur voluntas etiam quoad specificationem. Vnde talis intentio potest esse peccaminosa, non solum in vno, vel alio negotio, sed etiam in prima intentione, quam homo habet cum primum peruenit ad vsum rationis, vt facit D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. Ergo prima volitio non tribuitur Deo propter necessitatem quoad specificationem.

Deinde probatur altera pars, quia etiam volitio beatitudinis, vel boni in communi, licet sit necessaria quoad specificationem, est ab homine vt ab agente quod, & vt principaliter operante, ac se mouente per virtutem propriam; nam videntur etiam operentur, ex inclinatione naturali, & non moueantur ab vno actu ad alium, sed simpliciter operari incipiunt, verè, & propriè dicuntur operari, vt quod tanquam causa principales proxime; non minus quam ignis dicitur calefacere, licet enim planta efficiat mutationem suam, & visus visionem, & sic de alijs, & ita propriè se mouent, quia hoc est de intrinseca ratione actus vitalis. Ergo idem erit in voluntate circa primam intentionem finis, vel etiam boni in communi, quia ex virtute intrinseca, & tanquam sibi propria, illum actum elicit. Nec obicit quod eadem voluntas sit principium actuum integrum, & receptiuum illius actus, quia simul est potentia actiua, & passiuà sine repugnantia, quia est in potentia receptiua ad actum secundum, & est in actu primo, non per ipsum actum secundum, sed per eminentem virtutem suam, vt argumentatur Scotus in 2. d. 37. q. 1. §. Ideo merito, & patet in appetitu sensitiuo; qui non elicit vnum actum per alium, neque habet aliud principium proximum agendi præter seipsum; suppono enim cognitionem phantasia non currere ad actus appetitus, & nihilominus elicit actus suos in seipso vt principalis virtus actiua proxima, & in virtute auita, & ideo illi sunt propriè actus vitales, per quos animal se ipsum mouet, & actu viuunt; ergo idem est in primo actu voluntatis.

Propter quod qui benignius interpretantur D. Thom. dicunt illum loquutum fuisse moraliter, non physicè, nam loquendo physicè, sine dubio voluntas propriè se mouet quoad exercitiu actus in prima intentione finis, etiam si sit de bono in communi, quia verè efficit illum actum propria virtute vitali; imò & determinat se ad talem actum, quia cum possit illum continere, voluntariè illum exercet. Nihilominus tamen moraliter dicitur voluntas non se mouere in illo actu, quia non per proprium consilium, nec per priorem voluntatem se applicat, & disponit ad talem actum eliciendum, sed ab alio præuenta quoad obiecti propositionem per cogitationem non voluntariam, sed aliunde immisam statim ex aliqua propensione naturali prodit in talem actum. Vnde idem D. Thomas 1. 2. q. 17. art. 5. ad 3. dixit, primum actum voluntatis non esse imperatum à ratione, quia non est ex ordinatione rationis, sed ex instinctu nature, aut superioris causæ.

Alijs vero hoc non satisfacit, volunt enim etiam moraliter se mouere voluntatem in illo actu, quia potest esse liber quoad exercitiu, & specificationem, vt dictum est: esse autem morale incipit per esse liberum; imò in eo consistit; ergo in illo actu voluntatis moraliter operatur; ergo moraliter

mouet. Imò etiam sola libertas quoad exercitiu ad hoc sufficit, quia illa satis est, vt actus sit humanus, moralis, ac meritorius. Confirmatur primò quia idem D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 2. generaliter pronuntiat voluntatem se mouere in vnum quia est domina illius actus, quo tendit in finem. Confirmatur secundò, quia talis intentio finis semper non potest tribui Deo, sed solum homini tanquam moraliter operanti, nam semper illa prima voluntas est peccaminosa, vel in principio vnius rationis, vt ex D. Thom. dixi; vel frequentius in quotidianis intentionibus; nam omnia peccata incipiunt ex praua aliqua intentione finis.

Verum tamen quoad hanc partem disputatio est de modo loquendi; & diuersis sensibus vterque potest esse verus. Nam si motio moralis generaliter dicatur omnis actio libera, sine dubio dicitur test homo se mouere moraliter in prima volitione finis, vt probant, quæ adduximus. Loquendo tamen rigorosius, & quasi per antonomasiam de motione moralis, quasi significat cursum moralem habentem principium in aliquo affectu, & impulsu ab ipso met homine sibi comparato, dicitur homo moraliter moueri ad media potius quam ad finem. Vnde dixit D. Thom. q. 3. de malo, art. 3. ad 5. voluntatem cum sit ad vtrumlibet determinari ad vnum per consilium rationis. Nec oportet (ait) hoc esse per aliquod agens extrinsecum. Et ad hoc magis declarandum addidi in Metaphys. disp. 19. sect. 8. in omni intentione finis quatenus libera est; includi virtualiter aliquam electionem in quantum vel hic finis particularis alteri præfertur, vel quatenus hic vel nunc exercitiu talis actus volendi præfertur carentiæ eius. Et hinc fit vt quando in tali intentione interuenit culpa, non possit tribui auctori nature, quia defectus ille non inuenitur in illo actu, vt est pura intentio ex inclinatione nature, sed vt participat aliquid de electione ex applicatione liberæ voluntatis. Quod secus est, quando intentio est bona, potest enim suo modo tribui absolute auctori nature, non quidem vt principali agenti proximo, vt Ferrarientis insinuabat, sed vt primæ causæ danti inclinationem ad illum finem, non tantum vt absolute spectatum, sed etiam vt comparatum ad finem, &c.

Atque hinc tandem facile refellitur obiectio quæ contra nos sumitur ex illa doctrina D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 5. ad 3. ob quam clariùs expediendam hæc obiter attingere oportuit. Illa enim doctrina, quod voluntas non se mouet ad primum actum circa finem, licet alias suum difficultatem habeat, non fundatur in concursu præuio, nec in speciali prædeterminatione physica, quam Deus tribuat voluntati in prima volitione, seu intentione, & instinctu alieius causæ superioris, quæ ratio locum habet, sine intentione finis sit ex motione prædeterminante, siue non sit, vt est verus, quia nec inclinatio naturalis, nec cogitatio præua, seu instinctus est præuio concursus prædeterminans voluntatem vt per se notum est: vnde si talis intentio, vel volitio finis sit omnino necessaria etiã quoad exercitiu, vt est in patria ad illam est satis determinata voluntas per innatam inclinationem suam & charitatis, si verò sit aliquo modo libera, eo ipso includit aliquam determinationem voluntatis se applicantis ad hanc partem potius quam ad illam per aliquale consilium formale, vel virtuale, & ideo (vt D. Thomas dixit) necesse non est illam determinationem esse ab aliquo extrinseco agente.

D. Thom.

28. Disputatio
reducitur
ad modum
loquendi.

D. Thom.

29. Co. facitur
tandem ob
iectio allata
in 20.

16. Affectu pars
expolitio
intra
ricans
re lectur.

Strua.

16. Benignior
aliorum
interpretatio
D. Thom.

17. Quæ nali
querenti
tate.